Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26157
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ecclesiastica. Et paulo post: Sicut igitur
orationes, ita et ymnos in laude dei
compositos nullus nostrorum ulterius
improbet. sed pari modo gallia hispania-
que celebrent. sintque excommunica-
tione plectendi qui ymnos reice-
re voluerint. Unde sanctus pater
benedictus iubet monachos ad omnes
regulares cursus celebrare ym-
nos quos ille vocat ambrosianos.
Ad huc potest aliquis dicere: tunc
temporis gallos et hispanos in mis-
sarum celebritate nondum habuisse
usum sanctae romanae ecclesiae. Quod et
nos non negamus. Testatur hoc hild-
uuinus abbas, vir divinae paginae
ad prime eruditus in ea epistola quam ad
ludewigum imperatorem direxit pro
passione sanctorum martyrum dionisii
et sociorum eius. ubi inter alia quae suae
narrationi videbantur congrua haec
adiecit. Cui adstipulari videntur
etiam antiquissimi et nimia vetustate
pene consumpti missales libri, conti-
nentes missae ordinem more gal-
lico, qui ab initio receptae fidei usu
in hac occidentali plaga est habitus
usque quo tenorem quo nunc utitur romanum
suscepit. In nostri quoque monasterii
archivo habentur missales longe
aliter ordinatus quam romanae
ecclesiae se habeat usus. Et quid his
maius est cum una sit fides cur

(Marginal note: Praecinente me / Sabaoth. emmanuel Sother.)

super missarum celebratione gallicorum
ecclesiae a romana discordent. augusti-
no requirenti. G. respondit. Novit
fraternitas tua romanae ecclesiae consue-
tudinem in qua se meminit enutri-
tam. Sed mihi placet sive in romana
sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti
quod plus omnipotenti deo possit pla-
cere sollicite eligas. et anglorum ecclesiae
quae adhuc nova est ad fidem institu-
tione praecipua quae de multis ecclesiis
colligere potuisti infundas.
Non enim pro locis res sed pro bonis rebus loca
amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque
ecclesiis quae pia quae religiosa quae sunt
recta eligas. et haec quasi vasculo col-
lecta apud anglorum mentes in consue-
tudinem vertas. His satis instrui-
mur exemplis: nil nos delinquere
si ea quae ex auctoritate ponti-
ficum qui illum sanctum virum tempore praeces-
serunt instituta suscepimus. vel ex
gallicanarum ecclesiarum aut hispani-
arum usu mutuavimus. fidei devo-
tione servamus imitantes ipsius
beatissimi papae praedicandam humili-
tatem. Qui cum reprehenderetur a quibus-
dam quod aliarum ecclesiarum morem sequeretur
inter alia fatetur dicens: Si quid bo-
ni vel ipsa videlicet constantino-
politana vel altera ecclesia habet,
ego et minores meos quos ab illici-
tis prohibeo in bono imitari paratus sum.